

# CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

## LENT TERM, WEEK 2

### 1. Translate:

*Agrippina decides to kill her husband Claudius in order to accelerate the accession of Nero to the throne.*

tum Agrippina, sceleris olim certa et oblatae occasionis propera nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit, ne repentina et praecipiti facinus proderetur; si lentum et tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius et dolo intellecto ad amorem filii rediret. exquisitum aliquid placebat, quod turbaret mentem et mortem differret. deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper beneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita. eius mulieris ingenio paratum virus, cuius minister e spadonibus fuit Halotus, inferre epulas et explorare gustu solitus.

adeoque cuncta mox pernotuere ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum delectabili boleto venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane an Claudii vinolentia; simul soluta alvus subvenisse videbatur. igitur exterrita Agrippina et, quando ultima timebantur, spreta praesentium invidia provisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. ille tamquam nisus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno inlitam faucibus eius demisisse creditur, haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum praemio.

(*Tacitus, Annals XII*)

## 2. Prepare:

*Winter bids us make merry.*

vides ut alta stet niue candidum  
Soracte nec iam sustineant onus  
siluae laborantes geluque  
flumina constiterint acuto?

dissolute frigus ligna super foco  
large reponens atque benignius  
deprome quadrum Sabina,  
o Thaliarche, merum diota.

permitte diuis cetera, qui simul  
strauere uentos aequore feruido  
deproeliantis, nec cupressi  
nec ueteres agitantur orni.

quid sit futurum cras, fuge quaerere, et  
quem fors dierum cumque dabit, lucro  
adpone nec dulcis amores  
sperne, puer, neque tu choreas,

donec uirenti canities abest  
morosa. nunc et Campus et areae  
lenesque sub noctem susurri  
composita repetantur hora,

nunc et latentis proditor intumo  
gratus puellae risus ab angulo  
pignusque dereptum lacertis  
aut digito male pertinaci.

(Horace)